

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvpii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

De nimia confidentia. Cap. 21.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](#)

134 SPECVLVM ANIMAE
stlm tibi proponas sententiam &
comminationem Christi dicentis.
In quo iudicio iudicaueritis iudicabimini.
Quod si feceris, anima tua insignem
in amore Dei & proximi progressu
faciet, & maledictum Dæmonem,
bonorum operum hostem acerri-
num, pedibus tuis subiicies.

Matth. 7.

De nimia confidentia,
Macula X.

CAPVT XXI.

Luc. 17.
Opera no-
stra nulla
sunt.

Isaie 4.

Gratia &c o-
pera necessa-
ria sunt ad
salutem.

CVM omnia feceritis, dicate quia servi
inutilis sumus, ait Dominus. Ope-
ra nostra usque adeò infirma & lan-
guida sunt, ut quamvis omnia toti-
us mundi opera faceremus, propte-
re a tamen vel in superbiam extolli,
vel nimis de nobis confidere non
deberemus, cùm omnes iustitiae nostre
vti ait Isaias Propheta, sint tanquam
pannus menstruatae. Vanus est itaq; qui
fiduciam habet in operibus suis.

Quod ut planius fiat, notandum: Ad
salutem duo nobis necessaria esse:
gratiam diuinam & opera bona. Sine
me nihil potestis facere, ait Dominus.

Vides

PARS PRIMA. 135

Vides necessariam esse gratiam. Iam
verò ut D. Augustinus ait: Qui fecit
te sine te, non saluabit te sine te, hoc
est, sine cooperatione liberi arbitrij
tui, & operum bonorum exercita-
tione: Animaduertis nunc opera pa-
riter esse necessaria. Ex his duobus.
autem gratia principalior est, quæ
ad profectum nostrum atque salu-
tem cum primis requiritur, sine qua
iuxta legem à Deo constitutam, sal-
uari, aut bonum aliquod opus æter-
næ vitæ meritorum efficere nemo
potest.

Quod si ita est, vti reuera est, cur
queso tam arrogantes tibi, ô homo,
spiritus assumis, vt in tuis operibus
confidere ausis, cùm ex teipso nihil
boni operari valeas: præsertim cùm
& opera tua in seipsis nulla sint, to-
taq; illorum vis à diuina gratia exi-
stat: *Quid enim, vt ait Apostolus, ha-
bes, ô homo, quod non accepisti? si autem
accepisti, quid gloriaris quasi nō accepisti?*

I. Cor. 4.

Semper itaque bonis operibus
insiste, & Deo gratias age, & spera
ipsum misericordiam suam à te mi-
nimè

136 SPECVLVM ANIMAE
nimē subtractus: In illo solo om-
nem spem & fiduciam tuam collo-
ca, illum extolle, laudando & mag-
nificando immensam illius miseri-
cordiam, & teipsum humiliando,
deprimendo, & omnium hominum
vilissimum, imò creaturarum om-
nium infimum æstimando. Hæc est
semita in præsenti vita ad perfectio-
nem tendendi, in futura verò com-
prehendendi, quando solutis cor-
poris vinculis ad supernas heatorū
sedes euolabis, vt ibi gaudeas &
perfruaris creatore & Deo tuo, qui
nunc misericordia sua erga te vti-
tur, dum plurimis te fauoribus &
gratijs ornat, & tunc semetipsum
tibi in præmium largietur.

Laudibus itaq; amplissimis hanc
eius clementiā celebrando dic cum
*Propheta. Misericordias Domini in eter-
num cantabo. In generatione & genera-
tionem annunciabo veritatem eius in ore
meo. Benedicam Dominum in omni tem-
pore, semper laus eius in ore meo.*

Modus

Psalter. 88.

Psalm. 33.

PARS PRIMA. 37

Modus eluendi maculam, nimia
confidentia.

PRIMVS modus est : Confide-
tare quid sis, & quid sint opera tua, ^{Opera que}
cum sanctorum operibus, que vel ^{agimus no-}
egerunt, vel amici Dei adhuc in mun- ^{strano esse}
do degentes, agunt, collata. ^{sed Dei.}

SECVNDVS est, Cogitare illud ^{2. Cor. 3.}
etiam modicū quod agis tuum non ^{Seruus Dei}
esse, sed Dei sine quo nihil agere po- ^{de operibus}
tes. Non enim sumus sufficientes cogitare ^{suis loqui}
aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficien- ^{non debet.}
tia nostra ex Deo est.

TERTIVS est : ut nunquam de
operibus tuis loquaris, nec ad ea
consideranda te conuertas, nec illis
qui ea laudant aures faciles præbe-
as, immò à te laudantibus, tanquam à
Dæmone fugias.

De pusillanimitate,
Macula XXI.

CAPUT XXII.

MODICAE fidei quare dubitas?
Ex diametro vitium pusillani-
tatis repugnat superiori, nec illo
minus